

observent regularitatem: cuius defectus ratio a caussarum ipsarum irregularitate & insuffici-
entia pendet.

575. Verum & ex ipsa terra, ejusque visce-
ribus, exeunt copiosissimae exhalationes, quae
ventorum vagorum suis temporibus caussae esse
possunt, & sunt revera: quo & nomine *Cryp-*
tæ Aeoliae celebrantur; ex quibus ventus, va-
riis modis in iis generatus, prorumpit.

576. Quin nec in ipsa atmosphaera caussae
deficiunt ventos vagos geniturae, quales ne-
cessario se produnt, simulac exhalationes, per
eam latae, vel heterogeneæ sibi invicem, vel
vaporibus occurrentes commiscentur & una
effervescunt. (*Exp.*)

De Aqua.

577. **A**qua est fluidum, eo distinctum ab aliis,
quod sit inodora, insipida.

578. Sex dantur aquarum species: 1. *caelo-*
rum, 2. *fontana*, 3. *fluviatilis*, 4. *putealis*, 5. *pa-*
ludosa, 6. *marina*.

579. *Aqua naturalis*, seu *pura* nusquam fe-
re datur: nam particulis corporum inquinat-
ur, viz. sales, mineras, ovula, animantia,
semina &c. in substantia sua complectens.

580. Erunt itaque quidam aquae effectus,
non aquae ipsi, sed ejus admixtis, tanquam
caussae, tribuendi.

581.